



**Jani Erasmii Calliopoe in praeclarissimam confoederatarum
Belgii provinciarum victoram, intercepta ad Scaldis ostia
universa hostium classe, ductu fortissimi ac invicti herois
Frederici Henrici principis Auraici, comitis Nassau, Vianden,
Meurs, Buren, Leerdam etc.**

<https://hdl.handle.net/1874/18777>

IANI ERASMII
C A L L I O P E

*In præclarissimam confœderatarum Belgij
provinciarum victoriam.*

Interceptâ ad Scaldis ostia universâ hostium classe.

Ductu fortissimi ac invicti Herois

Frederici Henrici Principis

Auraici, comitis Nassau, Vianden,
Meurs, Buren, Leerdam, &c.



ULTRAJECTI,


Ex Officina Abrahami ab Herwijck, Anno 1631.

*Nobiliſſimis, ampliſſ. clarifſimisque dominis,
D. D. Ultrajectinæ provinciæ ordinibus,*

E T

*Ampliſſimo, prudentiſſimoque inclytæ Ultra-
jeclinæ urbis magiſtratui.*

Dominis & studiorum meorum fautoribus.



Triumphus super interceptâ Hispanorum classe.

Rincipis Auraici navalia dicere bella
Mens agit, ac tantos armorum evolvere casus.
Ilicet horrendas strages, quas Martius heros
Hostili intulerit classi, quas inde reportet
Exuvias, quantos superato ex hoste triumphos.

Vos, ô Pierides, vos ô clarissima Phœbi
Lumina, vos nostris spirare faventia coeptis.

Solverat ignipedes, exactâ luce, jugales
Hesperiis Sol pronus aquis, noctemque silentem
Roscida cœruleis referebat Cynthia bigis.
Jamque Hispana phalanx obscurò lumine solvens,
Turgida laxato pandebat carbasa lino.

Ipsa Brabantino circum stipata senatu
Eugenia, ad tanti subeunda pericula cœpti
Hortatur socios, diri ad certamina Martis
Intrepidis audere animis, ne sæva pavescant
Prælia!, sed stricto persistent concurrere ferro,
Donec ad optatum perducant bella triumphum.
Siquid apud superos precibus mortalia possunt
Pectora, se crebris aditaram numina votis,
Dixerat, & placidos exoptat puppibus Austros:

Mox socij incumbunt, navaliaque armamenta
Certatim expedient, velorum panditur ala,
Provehimur, classisque secundo defluit amni.
Centenæ incedunt ingenti mole carinæ,
Horrendum visu, centena immania secum
Gestantes solido tormenta effusa metallo,
Omnigenisque instructæ armis : non ista virorum
Agmina, non acies, non talia robora Xerxes
Vexit, Erechthæas cum debellaret Athenas,
Non Agamemnoniam vindex cum Græcia classem
Solveret e portu peritum ad mænia Troiæ.
Usque adeo dubium, videasne natare revulsas
Cycladas, an liquidis eat Apeninus in undis,
Primus ibi ante omnes Janus Nassovius exit,
Cui rerum commissus apex, summumque per æquor
Imperium, reliqui mandata attendere justi.

At jam vicinas bacchatur fama per oras,
Hispanas soluisse rates, amnique secundo
Berganas superasse arces, Tolanaque longè
Mænia, jam certis vestigia figere terris.
Nulla mora est, instat princeps, Mavortius heros,
Ceu canibus studio ingenti venator odoris
Quum capream excussit multâve indagine cervum,
Indefessus adest, nodosque & retia tendit
Circundans omnes aditus : sic undique fidos
Advocat Auraicus socios, aptare rudentes,
Aptare antennas, summis dare suppura velis
Mandat, & infestis hostem intercludere proris.
Utque excandescant animi, rapidisque ferantur
Passibus, & latis ineant certamina votis,

Grandia

Grandia venturæ promittit gaudia prædæ.
Ergo omni studio, tortâ pernicius hastâ,
Nautica turba ruit, summoque annixa labore
Contosque, harpagesque, informiaque armamenta,
Telaque, terrificique parat tormenta fragoris.
Mox iter, assumptis electâ pube maniplis,
Ingredimur, Zephyrique impellunt vela secundi.

Nox erat, & cæco mundum velabat amictu
Luna nigris invecta rotis, cum clamat ab alto
Navita, fulcandas qui prævius edocet undas,
Hispanas vidisse rates, terræque propinquas,
Nomine quæ divæ fortitur nomen ab Annæ.
Nec dubium, apparere faces, & plurima cerni
Lumina, quæ celsis fulgent rutilantia clavis.
Festinate viri, date vela, impellite remos,
Pergite, ferte rates, Riphæis oxyus Euris.
Pellamus resudes animos, desueta triumphis
Agmina, pellamus damas cervosque fugaces,
In sua more suo seſe cunabula condent.

Heu stirpem invisam Batavis, maria aspera juro,
Tempus adeſt, quo te Batavorum dextera ferro
Contundet, piscesque impasti corpora lambent.
Dixerat, & celeri percurrens cærula pinu
Martius aduersos fertur bellator in hostes.
Consequimur cuncti cursu contendere eodem.

Jamque intra teli jactum progressus, Iberam
In puppim exploſit densa inter nubila telum
Fulminis in morem, non ſic ſe lampade vecors
Saltmoneus jactavit ovans, fixitque carinam
Pondere, præcipitemque impmani turbine adegit,

Aspirat facilis primo Tritonia cæpto.
Infurgit clamorque virūm, clangorque tubarum.
Continuò abruptum diverso ex agmine murmur
Attollit magis atque magis: Ferte arma parati,
Arma viri, reboant undæ, cælumque remugit,
Ceu quondam in sylvis temi cum flamine primum
Offensa crepitant frondes, & lenta susurrant
Murmura, mox valido si turbine sortior Auster
Incubuit, stragemque dedit, sonat omne tumultu
Confusum nemus, & populara cacumina jaçat.

Confestim oppositis classes configere proris
Incipiunt, sulphurque globosque emittere mixtis
Fulminibus, resonant ærata utrumque boatu
Tormenta horribili, volitantque ingentia ferri
Pondera, per densas curvis compagibus alvos,
Involvuntque ruuntque horrendâ strage carinas.
Mox aliud super atque aliud siguntque, volatque
Hinc atque hinc, iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Qualiter horrificis solet Ætna tonare ruinis,
Cum procul ex altisflammam exspirare caminis
Cernitur : aut si parvalicet componere magnis,
Non secus ac si quâ penitus vi terra dehiscens
Rumpatur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Tartareas referet fauces, alta ostia Ditis,
Quinquaginta atris immanis hiatus hydra,
Horrendum visuque oritur trepidabile monstrum,
Terribili sonitu per aperta foramina sparsas
Ore vomens flammis, flammisque sequacibus iras.
Intremere undæ, & cælum tonat omne tumultu.
Inde ruunt socij, ceu saevum turba leonum

Intrepidi

Intrepidi, incumbuntque tenaci astringere dente
Et ratibus sociare rates, componere utrumque
Corpora corporibus, conjungere pectora junctis
Pectoribus, strictoque capessere prælia ferro.
Nec mora, concurrunt, sociantur, & oribus ora
Adversi obtendunt vicina in bella manipli.
Res gladiis geritur, pariter sternuntque caduntque
Immixti, nunc æqua favet Bellona Brabantis,
Nunc Batavis, dubius mediis Mars errat in armis.

Interea tanto armorum flagrante tumultu,
Roscida puniceo Pallantias exit amictu,
Æquoreos exosa toros, roseisque capillis
Splendida, nocturnas dispellit luce tenebras.
Non tamen ardentes acies saevissima mittunt
Prælia, sed Batavi collatis viribus instant
Hostiles sparsisse rates, unumque laborant
Ut sociis socias valeant disjungere proras,
Nec mirum, quid enim diro in certamine vires
Disiectæ : oppositi contra nituntur Iberi.
Jam magis atque magis, neutrâ fugiente catervâ,
Gliscit in arma furor, cæcæque utrumque phalanges
In gladios & tela ruunt, cum surgit opaca
Mox nebula, involvens spissis freta lata tenebris.
Discite jam cæco qui creditis omnia fato,
Quid sit in humanis divina potentia rebus.

Ecce per incertas sedes, perque invia nautis
Æquora, ubi densis puppes sistantur arenis,
Disjicit Hispanas caligo exorta carinas
Triginta inclinant naves, immania seſe
Corpora non possunt inimico evolvere ponto,

Lassa

Lassa ruunt, penitusque vadis illisā recumbunt.
Tunc demum ardescunt Batavi mucrone corusco
In reliquas fævire rates, horrenda boatu
Insurgunt tormenta novo, glandesque minores
Liventis plumbi mirando robore torquet
Miles, ut æstivis effusus nubibus imber
Densatas, longasque infigit cominus hastas.

Parte aliâ Hispani longo in certamine languent,
Dejectisque cadunt animis, ceu frondibus ingens
Sylva dolet lapsis boreali impulsâ tumultu.
Non rabies, non ardor adeft, quasi Gorgone viâ,
Obriguere metu, quæruntque per avia ponti
Effugium, rectâ, nunc obliquante carinâ,
Nunc huc, nunc illuc, confusique orbibus orbes
Confusos ineunt cursus, aliosque recursus.
Pars desperati, projectis turpiter armis,
In mare præcipitant : pars se committere summis
Festinant malis, atque alta cacumina scandunt :
Elidunt alios alij, ceu semine Cadmi
Surrexit Diræa cohors, ceciditque suorum
Vulneribus; strictis victores ensibus urgent,
Obviaque infesto sternentes corpora ferro
Occiduntque teruntque hostem, funduntque fugantque.
Non fecus ac præceps hiberno flumine torrens,
Cum tumidus latè ac pluviis hiemalibus austus,
Proruit adversas insano vertice sylvas,
Obstantesque trahit ripas, camposque per omnes.
Cum sonitu ruit, ac rapido rotat omnia fluëtu,
Non mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Multifidosque ruat tectidem per pectora Phœbus,

Omnia

Omnia cæsorum narrare cadavera possem ;
Non quantas strages, quot tristia funera passim
Hauserit illa dies, & ad imum miserit Orcum.

Maxima se Batavis permittit turba catenis,
Innumerique duces, & clarâ stirpe creati
Signiferi : accedunt, patratâ clade, manipli,
Millia captorum, duplicesque ad sidera palmas
Tendentes, pavidoque orantes murmure vitam,
Adversa assiduis incusant numina votis.

Ipse gubernandæ classis moderator Janus
Sollicito impendens evitat remige fatum,
Victorumque manus, vix unâ nave, cruentis
Fluctibus, & tardâ per densa cadavera prorâ.
Præda ingens, octona argenti vascula puri,
Provehitur, cunctæque Hollandi remige puppes
Incedunt, & versa suis aplustria clavis
Arbitrio victoris habent, bellique sinistri
Indicio, nullis redeunt per cœrula velis.

Jamque propinquabant castris, cum Martius heros
Auracis princeps longissima captivorum
Agmina respiciens, scitari & quærere causas ;
Quænam Tisiphone, quænam stimulavit Erinnys
Innumeræ armare rates ? quid tanta virorum
Agmina, quæ cæcos, Circei graminis instar,
Implicit rabies animos, quæ insania tantum
Discrimen tentare sui, Batavumque per æquor
Infestas agitare trabes ? quæ causa Brabantum
Impulit, ut tantis fœse committeret ausis ?

Unus ad hæc, tristi rumpens suspiria voce :
Undarum pelagique potens, fortissime princeps,

Cui

Cui trifida late auscultat maris arbiter hastā,
Cuncta equidem, quæcunque scio, tibi vera fatebor.
Sæpe Brabantini proceres asperrima tandem
Optarunt posito mitescere sœcula ferro,
Atque adeo longis fessi discedere bellis,
Optarentque etiam, sed ficta callidus arte
Pacificos animos optata pace sacerdos
Avocat, & vanis suspendet pectora votis.
Nunc has, nunc illas posse expugnarier urbes :
Hos modò, nunc istos portus : nunc ista teneri
Æquora ! nunc istos amnes : nunc tempus adesse,
Hispanæ ut Batavis aquilæ figantur arenis :
Quæque immensa cavi spirant mendacia folles.
Is tantam armari classem, tanta agmina demens
Persuasit, seque Hollandio immittere ponto,
Et Willemstadiis proras advertere terris.
Hic belli sedes & propugnacula mirum
Utilia, exiguo componi posse periculo.
Unde queas Bergam sociis disjungere campis,
Internumque tenere fretum, prædasque agitare
Affiduas, paucisque anniti puppibus, ut sit
Integra Zelando divisa Batavia mundo.
Proh miseram sortem, ah duri inclemens fati !
Quanta jacet classis ! quanto sudore Brabantis
Instaurata viris, operamur nocte dieque
Ingentes aptare trabes, resonatque tumultu
Affiduo excoctum lassa fornace metallum.
Non sic ignifluis Lipare fumosa tabernis
Intonuit, nullum tanto sudore Pyracmon
Aut Steropes construxit opus : quis censeat istas

Impensis

Impensas, immensum argenti pondus & auri,
Quod Tartessiacis sarcire haud posset arenis
Tempestas pretiosa Tagi, fortissime princeps,
Cuncta hæc jam velstras subeunt devicta catenas.

Hæc ubi dicta dedit, capti~~orum~~ millia longo
Agmine procedunt, durisque obnoxia vinclis,
Berganas arces & mænia celsa revisunt.
Heic ubi fatales campos, ambustaque quondam
Castra terunt, clarosque suorum cædibus agros.

Hæc est egregiis victoria digna trophæis,
Quâ non majorem Decius, fortive Camillus,
Aut Marius retulit, quamvis dominantia latè
Agmina Cimbrorum miserandâ strage repressit,
Alpinasque nives Boreali sanguine tinxit.
Romani & Græci cedant, & quicquid ab ortu,
Quicquid ab occasu populorum est, & vaga quicquid
Tethys obit, refluoque allatrant æquora ponto.
Salve, invictæ heros, salve invictissime princeps,
Nunc age, magnificos victor molire triumphos,
Et trabea ornatus, laurique ex fronde coronam
Impositam gestans capiti, sublimis in alto
Provectus curru, laribus te redde paternis.

